

& peccato obnoxii, atque in Adam Dei sententia condemnatis: cum ipse peccator non sum, neque ita ut omnes peccatores fuerim natus.

Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me. Ita & in vicefimo primo psalmo, in cruce clamavit ad patrem: Deus meus, & reliqua: Et clamabo per diem, & non exaudies, & cetera. Hac igitur verba dicuntur ex persona crucifixi: sicut & alia quae jam dixi superius. Clamabo, inquit, per diem ad te: id est, in rebus prosperis hujus vitae, ut non mutentur: nec exaudis, in verbis delictorum: clamabo, & in nocte, id est in adversis vitae hujus clamabo, ut prosperentur: & similiter non exaudies. Neque hoc satis ad insipientiam mihi: sed potius ut sapiam quid clamare me velis, non verbis delictorum ex desiderio temporalis vitae, sed verbis conversionis ad te in vitam aeternam.

Mutatus es mihi in crudelium: & in duritia manus tua adversaris mihi. Dum pater unico filio non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: crudelitatis species videbatur, quod erat pia dispensationis affectus.

Elevasti me, & quasi super ventum ponens elivisti me validum. Quod est, elevasti in cruce: & non credentibus Judaeis me alivisti.

Scio quia morti trades me: ubi constituta est domus omnium viventium. Quia ante Domini resurrectionem, etiam iusti in inferni partibus fuisse creduntur.

Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam: & si corruerint, ipse salvabis. Ad hoc utique morti trades me, ut non consumantur debita poena: qui divina sententia morti aeternae sunt deputati: sed potius mea morte salventur. Quod autem dicit: Si corruerint, ipse salvabis. Post gratiam baptismi, remedium salutis delinquentibus, per poenitentiam repromittit.

Elebam quondam super eum qui afflictus erat. Duabus autem de causis Salvator Jerusalem desebat. Una est, qui pro conversis flens patrem orabat. Alia verò est, qua pro non credentibus dolens flebat: praevidens utique ut Deus ob incredulitatis duritiam perditionem eorum.

Es compatiebatur anima mea pauperi. Quomodo animae sanctae in scripturis pauperes appellantur, non habentes superbiam spiritum: vel peccata tanquam mundi hujus divitias. Ita è contrariis omnes peccatores pauperes nuncupantur: eo quod superbia spiritu timeant: & sint inopes sanctitate: de quibus in psalmo canitur: Sedentes in tenebris, & in umbra mortis: vinculis ligatos in mendicitate & ferro. Ad desendos hujusmodi pauperes, utpote dives in miserationibus Deus ex affectu misericordiae tristitiam sustinebat.

Expellam bona, & venerunt mihi mala. Expectabam ergo per patientiam, ut bonum conversionis eorum gaudens, super correctos perciperem. Sed illi divitias bonitatis meae, & longanimitatis per contumaciam contemnentis, thesaurizaverunt sibi iram in die irae: & revelationis iusti iudicii mei. Hac igitur mala eorum, ad conspectum meum ventura sunt ut reddam unicuique secundum opera sua.

Præsolabar lucem, & eruperunt tenebrae. Lucem in eis fidei, & sanctorum operum præsolabar, & infidelitatis eorum ac vitiorum tenebrae prævaluerunt.

Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie. Sive quòd dolore tactus, intrinsicus animus ejus sollicitudine & anxietate ferbuerit, super eorum perditione: sive quod verbo carnis factò, & habitante in homine Jesu Salvatore nostro, interiora ejus, id est, animae illius motus sine cessatione, divino igne fervebant.

Prævenit me dies afflictionis. Dies afflictionis dies iudicii erunt: in quibus prædictam gentem iudicaturus sum. Sed tamen nunc & in hoc tempore nimis sceleribus suis prævenit me: ut secundum iustum iudicium meum reddam eis: sicut postea accidit in passione, quando à Romanis Ierusalem templumque subversum est.

Marens incedebam: sine furore surgens in tenebris clamabam. Sine aliquo utique iracundiae furore erat: quoniam donare atque concedere peccata eorum advenerat, non punire. Ait etiam Evangelista: Stabat Iesus, & clamabat: Qui scit veniat ad me & bibat.

Frater fui draconum, & socius struthionum. Judæos in Evangelio, Dominus serpentes frequenter appellat, & viperas: ita dicens: Serpentes, genimina viperarum. Et Propheta ait: Ova aspidum ruperunt, cum malorum generationem multiplicari videret. Item: Furor draconum vinum eo-

rum, & furor aspidum insanabilis. Sed idcirco fratrem eorum se nuncupavit: quoniam de eorum genere secundum carnem est procreatus: de quibus in psalmo ait: Socer factus sum fratribus meis, & hospes filii matris meae. Et quia secundum præsentem vitam, qua dum hic mortalis fuit, inter eos est conversatus, struthionum se socium dixit, id est, in eadem gente sua cum stultis & insipientibus habitavit: sicut ipse Dominus in Evangelio: Stultus & caeci.

Cutis mea denigrata est super me. In cute, carnem suam: id est, Judæam gentem suam, unde Salvator carnem assumpsit: à parte totum dixisse intelligendus est. Quod autem super me ait, denigrata est cutis mea: ita est, velut si diceret, propter me: id est, in persona mea: odio persecutionum, & scelere blasphemiarum peccatorum etiam infandorum criminibus, tetra ac nigra effecta est caro generis mei: & quasi Ethiopiae colorem nigredinis non amittens: & eo est infelicio, quod hanc nigredinem noctis & tenebrarum, non in superficie corporis, sed in corde contraxit. Unde ait Dominus per Prophetam: Nocti assimilavi matrem vestram.

Et ossa mea aruerunt pre caumate. Ossis corporis Ecclesiae, cujus caput est Christus, sancti quidem omnes: sed praecipue Apostoli intelligendi sunt: quorum sanctitatis robore atque virtute, omnia membra infirmiora Ecclesiae sustententur. Horum igitur adeps pinguis caritatis, nimio persecutionis aestu in passione salyatoris exaestuavit. De quibus ipse Dominus in psalmo: Et ossa mea sicut cremium aruerunt. Item in alio psalmo: Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea, ut ait Evangelista: Et relicto Jesu fugerunt discipuli. Sed rursus per confessionem nominis ejus caritate illius uberrima impinguitur: ut nullo postmodum quantolibet ferventi caumate persecutionum, fides Christi in eis, & bonum charitatis areficeret.

Versa est in lactum cithara mea: & organum meum in vocem stentium. In cithara & organo, lætitia & exultatio intelligitur. Quam Christi se habere demonstrat, quando super salute credentium delectatur, sicut ipse in Evangelio ait: ubi parabolam centum ovium ponit: de quibus unam ait perisse, & inventa ea ait: Amen dico vobis, quia plus gaudebit super eam, quam super ceteras nonaginta novem. Itemque cum renunciant Apostoli Domino, quia in nomine ejus plurimae sanitates per eosdem factae fuissent: ait Evangelista: In illa hora exultavit Iesus in Spiritu: Hac ergo multorum nomina, cordis significant lætitiām, quae super infidelium obduratione, versa est in tristitiam: sicut de eodem Domino ait Evangelista: Et contristatus est super duritiam cordis eorum. Ea verò quae sequuntur usque ad finem parabolae, quae secundum virtutem sancti Job superius expofimus: jam confessi sumus non posse nos secundum mysticos intellectus differere. Si autem quis possit illa allegorice interpretationi rationabiliter coaptare assensum præbere, me fatebor.

Caput XXXI.

PEPIGI fœdus cum oculis meis: ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper: & hereditatem omnipotens de excelis? Nunquid non perditio est iniquo: & alienatio operantibus iniustitiam? Nonne ipse considerat vias meas: & cunctos gressus meos dinumerat? Ab hinc usque ad finem, iustitias suas, vel maxime & misericordias atque virtutes enarrat: quas usque ad quindecim numeros digere: velut vir perfectus, qui ascensus in corde suo disponens, per gradus quosdam profectum usque ad domum Dei ascendendo pervenit. Ego inquit, animo cum his obtutibus carnis meae, definiti ac statui: ut nihil omnino turpe atque obscenum mihi intrinsicus nunciarent: quod delectatione voluptatis, intra me iniquis cogitationibus volverem. Senserat credo aliquando fortassis delectatione carnem suam, & voluptatibus illecebrarum titillari: & idcirco se continentiae virtute præcinxerat: timens oculum Dei, cum scrutator cordis sit: & omnes vias conversationis humanae, cunctosque gressus actuum mortalium noverit.

Si ambulavi in vanitate, & festinavi in dolo pes meus: appendat me in statera iusta: & sciat Deus simplicitatem meam. Sanctus Job certus de æquitate iustitiae Dei: se manifestari optat hominibus. Non enim aliquid ignorat Deus, ut examinando cognoscat: sed sciat Deus, ita dixit beatus Job, ut scire alios faciat, secundum illud, Tentat vos Deus Dominus, ut sciat utrum diligatis eum: id est, ut scire ceteros faciat,

Si declinavit gressus meus de via: & si secutus est oculus meus cor meum: & si in manibus meis adhaesit macula: seram, & alius comedat: & progenies mea eradictur. Nihil mandatorum Dei, ait, præterii: quia nec cor meum acquiescens lectum est oculos meos: cum concupiscentiae imagines ei offerretis: priusquam pactum cum ipsis haberem, ne quid intrinsecus turpe transmitterent. Unde nec in operibus manuum mearum ulla peccata macula potuit adhærere: & hoc ipsum cum quadam juramenti execratione confirmat.

Si deceptum est cor meum super muliere: & si ad ostium amici mei insidiatus sum: & si in oculis uxoris meae: & super illam incurventur alii. Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima: ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina. Secundum naturae bonum loquitur, quod in Tobia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris: proinde ait, nefanda res est, & iniquitas maxima: hac fœnefa ac detestabilia cogitare, vel facere, ignis est inventiva libidinis: omnia bona virtutum devorans, atque universa in homine, sanctorum rerum incrementa consumens.

Si contempsit subire iudicium cum servo meo & ancilla mea, cum disceptarent adversum me. Sive ut alii dixerunt, apud me.

Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus: & cum quaesierit, quid respondebo illi? Nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est, & formavit me in vulva matris? Magna humilitas sancti viri hujus, & magna futuri iudicii cogitatio.

Si negavi quod volebant pauperibus, & oculos viduae expeccare feci? Manifestum est.

Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea: quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meae egressa est mecum. Manifestum est.

Si desepxi praevertentem, eo quod non habueris indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus: & de vellibus ovium mearum calefactus est. Hoc dicto ostendit, quemadmodum opus misericordiae fieri debeat: id est, ne alius auferas, ut aliis recte dare te arbitris. Unde Salomon ait: Honora Deum de tuis iustis laboribus. Et Iaias: Ego Dominus diligo iudicium: & odio habeo rapinam in holocaustum.

Si levavi super pupillum manum meam: etiam cum viderem me in porta superiorem: humerus meus à iunctura succadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur. Semper enim quasi tumentes super me stultus timui Deum: & pondus ejus ferre non potui. In humero, opera. In brachio, virtutis perseverantia, atque instantia bonorum operum accipi potest. Nisi ita est, inquit, irriti ante Deum inveniantur omnes labores mei.

Si putavi aurum robur meum: & obrizo dixi, fiducia mea. Si letatus sum super multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea. Verè homo philosophia, nullo vitio tenebatur: sicut nunc cupiditatis, & elationis contemptor fortissimus, aurum etiam pro nihili se habuisse testatur.

Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè: & latatum est in abscondito cor meum: & osculatus sum manum meam ore meo: quae est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. Tante virtutes, & tam praecipuae nihil profunt: quamvis quiscumque in eisdem perpetrandis sit sapiens magnus & clarus, si errorum stultitia teneatur. Non solum, inquit, quorumcumque idolorum cultus, verum etiam, nec horum pulchritudine ac specie magnotum luminum delectatus sum: nec quasi adorans ea inter eorum venerationem osculatus sum manum meam: nec creaturam pro creatore veneratus sum: quod in Epistola ad Romanos sanctus Apostolus detestatur.

Si gavius sum ad ruinam ejus qui me oderat: exultavi quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum: ut expecerem maledicens animam ejus. Cum magnum sit, si de inimicis suis quis cum possit non studeat ulcisci, quanto apud Deum studiosius est de eorum ruina, nec in corde delectari.

Si non dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus ejus, ut satureremur? Foris non mansi peregrinus, ostium meum viatori patuit. Pro hospitalitatis ejus, & virtute, qua & ceteri sancti Deo placuerunt: odium fervorum contraxerat.

Si abscondi quasi homo peccatum meum, & calavi in sinu meo iniquitatem meam. De his peccatis tantum, quae

cogitationibus committuntur, hoc loco mihi dixisse videtur: eo quod nec ipsa celare voluerit, quandoquidem secretorum suorum intima manifestaverit hominibus, & se confessione iniqua cujuslibet peccati non fuisse participem.

Si expavi ad multitudinem nimiam, & despectio propinorum terruit me: & non magis taci, nec egressus sum ostium. Ad propinorum suorum personam despicientium eum, locus hic pertinet: qui ei inter miserias calamitatum posito, indefinenter injurias irrogabant: contra quas sibi iurgantes posuit custodiam ori suo.

Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat omnipotens: & librum scribat ipse qui iudicat, ut in humero meo portem illum: & circumdem illum quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronuntiabo illum: & quasi principii offeram eum. Quem librum sanctus Job demonstraturus ceteris, in humero suo, in loco videlicet cunctis conspicuo confert: eo quod libro pro laboris sui meritis velut corona gloriae coronatus, per singulos gradus virtutum, sive profectuum suorum incrementa ante Deum recensendo, pronuntiat.

Si adversum me terra mea clamat: & cum ipsa sulci ejus desent. Si fructus ejus comedi absque pecunia: & animam agricolarum ejus affixi: pro frumento oritur mihi tribulus, & pro bordeo spina. Terra, caro hominis rectè sentit. Hanc dicit beatus Job sibi adversariam non fuisse, necessario utique: quoniam bene sibi eam obedientem fecerat circa ornamenta virtutum. Cujus etiam sulcos metaphoricè appellat: qui sive propter bonos mores excolendos: sive propter continendam aquam verbi Dei, insulam divinitus terrae suae, sulci ab eo dicti sunt: secundum illud psalmista: Sulcos ejus inebrians, multiplicat generationes ejus. Agricolae autem istos terrae suae, beatus Job sanctas cogitationes, ut arbitror, dixit: quibus vivus ager mentis vitae strenue colebatur. Quorum agricolarum, ideo anima una ab eo refertur: ut advertamus unum eorumdem fuisse consensum. Non est hoc in moribus sanctorum notabile, sive reprehensibile, quando seipfos laudant. Non enim iustitiae vitio detinentur, ut in suis laudibus gloriae humanam requirant: sed faciunt hoc veritatis intentione, qua ante Deum simpliciter ac sinceriter vivunt.

Caput XXXII.

OMISERUNT autem tres viri isti respondere Job, eo quod iustus sibi videretur. Cedentibus adversariis, Job post multa prophetiae suae mysteria, & ipse finit sermonem. Quod autem dicitur, miserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod iustus sibi videretur: scriptor historiae hujus, ex sensu respondentium dixit, eo quod iustus sibi videretur: non ex iudicio suo: cum referret, vel scriberet, quæ in praconium tanti viri, stilo hæc suo posterorum memoria commendabatur.

Es iratus indignatusque est Heliu, filius Barachiel Buzites, de cognatione Ram. De progenie, & generatione Huz & Buz filiorum Nachor, & Melchae, sororis Saræ, uxoris Abraham, nascitur Job, & Heliu. De Huz, Job nascitur: & de Buz hic Heliu: unde & Buzites dicitur, qui sicut hic scribitur filius Barachiel. Hunc igitur Helium, doctissimi scripturarum dicunt ipsum esse Balaam hariolum: quem in Numerorum libro Balach, rex Moabitarum, ad Israellem maledicendum conduxerat: & hæc scriptura refert, quod hic Heliu, de cognatione fuerat Ram: & hunc Ram, Abraham esse intelligamus: de cujus cognatione & familia Helium fuerit procreatus. Hinc utique fratris sui Nachor posteritas, procul dubio Abraham cognatio erit: ubi qui hunc librum scribit, quem Hebraei Mosen autumant, in generationis Helium nominibus, nobilitatem nativitatis ejus voluit demonstrare. Quod autem in hoc libro Ram, quasi paritro, sive divisio nomine sanctus Abram dicitur: ita & in diversis locis scripturae Dei, secundum incrementa in eo divinae gratiae nominata. Unde quando Ram dicitur, habeat excellus: quando verò Abram, proficiens in virtutibus, pater excelsum fit. Item cum fides ejus gradibus ad dominationem præponitur, Abraham: id est, pater multarum gentium appellatur. Hic igitur Heliu, sicut apparet, secundum bonum naturae, homo iustus videtur fuisse: qui & spiritum habuit prophetiae: sed puto non eodem modo, veledem gratia, ut sancti

Prophetæ. Unde & ipse Dominus, ad sanctum Job de eo locutus est: Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? quod est, improprie verbis atque inordinatis sermonibus, sensus propheticus narratur: ubi non reprobatur Dominus quod Helium loquitur: sed quod præpropere ab eo dicitur, hoc reprehendit. De hoc inquam Helium, & sui similibus, & in principio libri hujus diximus: quod prophetia mysterio usi sint etiam, qui exorbitaverant à vera religione: quia & illis dedit Deus verbum suum, ut mysteria futura pronuntiarent hominibus: ubi maxime fides, & admiratio gentilium pendet: ut qui nostris nolunt credere Prophetis, credant saltem divinis, & veribus suis. Hunc itaque Helium, qui est Balaam, figuram habere gentium diximus, adversantium Christo: sicut & illos amicos beati Job, hereticorum figuram. Quod autem ait: finita sunt verba Job: possumus intelligere tanquam dixerit, firmissimè stabilita sunt verba divina, & irrita esse non possunt: quæ usque ad æternam promissionem fideliter credentes perducunt. Isti verò, qui iustum virum, & sempiternum, præsumptione adinventorum dogmatum audent discutere, æterno quandoque silentio conticescent. Quod autem Helium duobus nominibus vocatur, non est mirum: familiare est hoc scripturæ divinæ: ut Salomon Idida: & cognatus Mofi dicitur est Jerro, & Ragnel: & Petrus, Simon. Unde non parvam obsecritatem hæc varietas nominum solet legentibus exhibere.

Iustus est autem adversum Job, eo quod iustum se esse diceret coram Deo. Porro adversum amicos ejus indignatus est: eo quod non invenissent responsum rationabilem, sed tantummodo condemnasset Job. Igitur Helium expectavit Job loquentem: eo quod seniores essent qui loquebantur. Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer. Respondensque Helium filius Barachiel, Buzites, dixit: Videtur mihi quod hæc prius gesta sunt, quæ hielegimus, quam illa quæ in Numeris de hoc ipso Helium, sive Balaam facta referuntur. Hic igitur Helium: qui ait Job & amicos ejus se expectasse loquentes, honoris ac reverentia causa ostendit se fecisse quod fecit: senioribus scilicet deferendo. Jam hic ipse Helium verba sunt, ita dicentis:

Junior sum tempore, vos autem antiquiores: idcirco demisso capite, veritus sum indicare vobis meam sententiam. Sperabam enim quod aras prolixior loqueretur: & annorum multitudo doceret sapientiam. Sed ut video, spiritus est in hominibus: & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non sunt longævi sapientes: nec senes intelligunt iudicium. Dicit hoc sibi magis videri, quia spiritu agantur homines, quibus Deus omnipotens sapientia suæ inspirationem tribuerit: quod in suggestionem prædictorum quasi ex obliquo dicit: veluti sibi soli hoc sapientia bonum concessum sit. Notandum quod hic Helium, per quatuor locutiones, sicut textus lectionis docet, sibi ipsi succedit: per quas singulas, vel priorum responsa, quasi eruditius retractare: vel singula loca asperius à sancto Job dicta, coram ipso destruere conatur. Nam post præfationem copiosam, in prima locutione sua, de sancti Job verbis hæc posuit: ita inquit: Mundus sum ego, & absque delicto immaculatus: & non est iniquitas in me. Quia querelas in me reperit: ideo arbitratus est me inimicum sibi. Posuit in nervo pedes meos, & custodivit omnes semitas meas. In secunda locutione, verba Job ita posuit, dicens: Iustus sum: & Deus subvertit iudicium meum. In iudicando enim me, mendacium est: violenta sagitta mea absque ullo peccato. Tertia locutio ejus ita habet: eodem Helium dicente ad Job: Dixisti enim: non tibi placet quod rectum est: id est, Deo dixisti, ait: quid tibi prodest si ego peccaverim? Quarta verò locutio Helium, continet quod pro Deo locutus, operatione sua Deum iustum probare disponat: quod usque in finem quarti hujus sermonis sui inter prophetia suæ mysteria accerrimè, & cum summa instantia prosequitur, & non desistit.

Ideo dicam, audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam. Expectavi enim sermones vestros: audivi prudentiam vestram, donec disceremini sermonibus vestris. Quoniam vestra mihi jam facta est manifesta. Hoc Ironicò ab eo dicit, non dubium est: & ideo quia superius rilorie prudentiam dixerat amicorum Job, sequitur id appetit, dicens:

Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam. Sed ut video, non est qui possit arguere Job, & respondere ex vobis sermonibus ejus. Ne forte dicatis: invenimus sapien-

tiam, Deus projecit eum non homo. Nihil locutus est mihi: & ego non sententiam sermones vestros respondebo illi. Eximuerunt, nec responderunt ultra: abstuleruntque à se eloquium. Nullam, inquit, adversum me Job habuit disputationem: sed neque ego illum, quemadmodum vos facitis, maledictionibus victorum, & opprobriis aggredior.

Quoniam igitur expectavi, & non sunt locuti: steterunt, nec ultra responderunt: respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam. Proinde & ego Helium ait, pro viribus meis respondere tentabo: & ostendam vobis meam, & Job pariter scientiam: quod ex jactantia vanitatis dicere eum latis apparet, cum subiungit:

Plenus sum enim sermonibus, & coarctat spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit. Loquar & respirabo paululum: aperiam labia mea, & respondebo. Juxta anagogen ventrem suum, aut uterum, & spiritus ipsam memoriæ suam dixit: eo quod penè omnes sermones Job, & amicorum ejus, aliquando disceptantium, velut cibos intra capacitate suæ memoriæ congregaverit.

Non accipiam personam viri, & Deum homini non aequalabo. Nescio enim quamdiu subsistam: & si post modicum tollat me factor meus. Iusti iudicii mei, inquit, sententia hæc est, ut nec homini parcam, vera dicendo: nec Deo injuriam faciam, ut eum injustè aliquid contendam fecisse.

Caput XXXIII.

AUDI igitur Job eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta. Ecce aperui os meum: loquatur lingua mea in faucibus meis. Simpliciter corde meo sermones mei, & sententiam labia mea pura loquentur. A Domino ita despicitur Helium, cum ait de eo, quis est iste? Indignum enim erat atque præposterum ut vir magnus, Deoque placidus, etiam si ut homo in aliquo deliquisset, ab ipso corripetur, qui longè à vera religione esset. Sed si movet forsitan quempiam: quia iste Helium multa de salvatoris temporibus futura prædixit: quæ ut prophetiam suscipiamus: Sciatis quisquis est, quem hoc movet, illa quæ spiritu Dei prædicta sunt, suscipienda à nobis & credenda. Hæc verò quæ elatione cordis ab eo de prompta sunt, reprobanda: quoniam de propriis suis, ut diabolus locutus est non ex Deo.

Spiritus Dei fecit me: & spiraculum omnipotentis vivificavit me. Ut det auctoritatem se audiendi, ita locutus est, quod non possit non recta & vera dicere, is qui Spiritu Dei factus sit, & omnipotentis spiraculo animatus: ubi Trinitatis Deum intelligere debemus. In Deo enim nominat patrem: in omnipotente, filium: in spiritu, Spiritum sanctum. Trinitatis enim Deus creavit omnia: sed quando hominem fecit, propria & specialia quadam significatione nominum, per diversam operum nuncupationem se voluit demonstrare: ita legislatores dicente: Et creavit Deus hominem: ad imaginem Dei creavit eum: masculinum & femininum fecit eos. Itemque: Et fecit Deus hominem de limo terræ: Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viventem: ubi in faciente, & inspirante, vel etiam benedicente: sine ulla discretionem, vel dissonantia voluntatis, operatam Trinitatem sentire debemus. Non enim refert aliquid, vel diversum intelligere facit, verbum creavit, inspiravit, & benedixit: ubi secundum naturæ unitatem, una est voluntas opusque commune.

Si potes, responde mihi: & adversus faciem meam confite: ecce & me sicut & te fecit Deus: & de eodem luto ego quoque formatus sum. Verumtamen miraculum meum non te terreat: & eloquentia mea non sit tibi gravis. Prolaturus verba ejus, responsum deponit: ut sub blandimento quodam, & consolatione simulata, minarum terrorem incuteret: quo perturbatus Job, facilè multiloquio ipse cederet.

Dixisti ergo in auribus meis: & vocem verborum tuorum audivi. Mundus sum ego, & absque delicto immaculatus: & non est iniquitas in me. Quod ergo Helium ait ad Job: Hoc est ergo in quo non es justificatus: id est, accurate debueras te, non laudare: non illud dicere: mundus sum, sine peccato, & immaculatus: iniquitas quoque non est in me: hoc est, inquam, in quo non es justificatus: quia justificatio per humilitatem acquiritur. Laus verò elationis

condemnationem meretur. Potuit quidem ut vir iustus, & de sanctis operibus suis sibi bene conscius, audenter aliqua quæ vera sunt, Deo dicere: non potuit tamen hæc quæ ei Helium falsò obijcit, velut sacrilegus loqui. Denique illa, quæ dixisse Job dicit, ita inquitens:

Quia querelas in me reperit: ideo arbitratus est me inimicum sibi. Posuit in nervo pedes meos: custodivit omnes semitas meas. Hoc est ergo in quo non es justificatus. Non legitur hæc Job dixisse: quæ utique ex sensu ejus, quasi à sancto Job dicta, suis hic verbis composuit. Unde hunc potius non rectè verba dicere noverimus, quam eundem sanctum Job dixisse credamus.

Respondebo tibi: quia major sit Deus homine. Adversus eum contemnis, quod non ad omnia verba responderit tibi. Semel loquitur Deus: & secundo idipsum non repetit. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sapor super hominem, & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum: & erudiens eos, instruit disciplina: ut avertat hominem ab his que fecit: & liberet eum de superbia, eruat animam ejus à corruptione: & vitam illius, ut non transeat in gladium. Ab ipso principio mundi, & deinceps semper locutus est Deus hominibus, & semel nihilominus loquitur: sed ubi frequenter loqui dicitur Deus: vel lex ejus multiplex: vel Prophetarum & mandatorum ejus diversitas indicatur. Ubi verò semel loqui significatur, stabilita ac definita ejus sententia demonstratur. Loqui enim Deum efficientia ejus res intelligitur. Semel loquitur Deus: & secundo idipsum non repetit: id est, non immutat Deus, nisi hoc ipsum vitæ nostræ mutatio deposcerit: hoc loco de duobus quibusdam correptionum gradibus, Helium diligenter enarrat, & dicit quod eruditio divina, vel castigatio circa hominem, & in noctis visionibus fiat: itemque in lectulo: unde ait: Contabescere faciat hominem, donec ad vitæ hujus extrema perveniat. Et cum ab aliquo sancto pro eo fuerit interventum, ut fecit Iaias pro Ezechia rege: restituar vitæ sanitati. Et ait in subsequentibus: quod tribus vicibus hæc circa hominem operetur: id est, evidenter, & probabiliter, & confirmativo modo: vel propter trinumeri perfectionem, vel propter trium testium veritatem. Quo genere etiam patientiam Dei, clementiamque significat: quæ non statim, sed per partes, & per vices castigat, & arguit delinquentem: ubi ei nec præceptis veritatis iudicium, nec inutilis remissio, nec injustitia imputatur iniquitas.

Incepit quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa ejus marcescere facit. Abominabilis ei sit in vita sua panis: & anime illius cibis ante desiderabilis. Tabescet caro ejus, & ossa qua testa fuerant, madabuntur. Appropinquabit corruptioni anima ejus: & vita illius mortiferis. Si fuerit pro eo angelus loquens unum de similibus: ut annunciet hominis aqumtatem: miserabitur ejus, & dicit: Libera eum, ut non descendat in corruptionem. Inveni in quo ei propicietur. Sive ut alii dixerunt: accessit usque ad mortem anima ejus: & omnia ossa ejus marcescere facit. Cum per hæc itaque correctus homo atque consumptus, morti & infernalibus ministris appropinquaverit: si fuerit quispiam sanctorum, qui nomen sancti angeli habere mereatur: is pro hujusmodi qui pro peccatis suis à Deo ita corripitur, poterit impetrare: si tamen de multis operibus bonis: quæ operari debuerat: saltem unum bonum opus ejus, quod tanquam sacrificium pro eo placabile offerat Deo, valuerit invenire. Exaudiet, inquit, & jubebit, ut prædictus ad correptionem infernorum cruciatuum non descendat: eo quod vir magnus quidam extiterit: ejus preces Deus non poterit non audire. Et angelus quilibet de cælo assistens ante faciem Dei, poterit pro quolibet peccatore in flagellis castigationum posito intercedere: ipsis enim est cura injuncta à Deo, vel maxime, ut diversis hominibus, vel nationibus, defensionis sive custodiae suæ opem ferant. De quibus Apostolus: Nonne omnes sunt administrationi spiritus in ministerium missi: propter eos qui hæreditatem capient salutis? Exemplum autem rerum præsentium, de quibus nunc loquimur, in scripturis dominicis retinemus: ubi legitur, in somnis homines fuisse correptos, ut Nabuchodonosor regem superbissimum: & Laban, qui parentis sui Jacob interitum disponebat: & Abimelech regem, qui sancti Abraham domum contaminare tentabat: & uxorem Pilati, quæ ait ad eum de Domino nostro Jesu Christo, Nihil tibi & iusto illi: multa enim passa sum per somnium propter eum. Et magi in Evangelio in somnis admoniti, per

aliam viam egrediuntur. Fideles etiam viri à Deo in somnis instruantur, ut Jacob Patriarcha: & alios legitur infirmatos esse propter peccata, de quibus illum paralyticum fuisse discimus: cui ait Dominus: Remittuntur tibi peccata tua. Legimus & sanctos ægros fuisse, ut Trophimum, & Epaphroditum: quos utique velut iustos tali castigatione examinatos credere debemus: non ut peccatores infirmitatis verbere flagellatos. Sequitur:

Consumpta est caro ejus à suppliciis: revertatur ad dies adolescentiæ suæ. Recepti, inquit, mala pro meritis suis & suppliciorum atque poenarum mensuram: sufficient hæc ei verbera castigationis: quibus revocatus est ad emendationem: nunc indulgentia divinæ pietatis, ad dies adolescentiæ revertatur: id est, sit iterum sanus atque incolumis.

Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit: & videbit faciem ejus in júbilo: & reddet homini iustitiam suam. Quod interim corde fit, cum per Deum bonum conscientia possideatur. Videbit autem Dei faciem, propitium sibi vultum illius sentiens, redditurus ei digna satisfactione iustitiam.

Respiciet homines, & dicit: Peccavi, & verè deliqui: & ut eram dignus non recepi. Magna res est, Deoque plurimum acceptabilis, ut homo errores suos confiteri non erubescat: præsertim si pro eis se intelligat castigari: & ita se humiliet, ut quicquid castigationis sustinuerit, pro meritis suis parum se passum pronunciet.

Liberavit animam suam ne pergeret in interitum: sed vivens lucem videret. Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos: ut revocet animas eorum à corruptione: & illuminat lucem viventium. Id est, agnitionis Dei lucem, & immensa beneficia illuminatus agnosceret.

Attende Job, & audi me: & tace dum ego loquor. Si autem habes, quid loquaris: responde mihi. Loquere: Volo enim te apparere iustum. Quod si non habes, audi me: tace & doce te sapientiam. Quasi hæc ratione Helium sanctum Job convicerit, ait illi: Audi me: id est, docenti te obediens esto, & præbe consensum. Quod autem dicit, ut taceat: eloquentem & tanquam minus eruditum, vel impatientem jubet ut sileat.

Caput XXXIV.

PRONUNCIANS itaque Helium, etiam hæc locutus est. Quasi sententiam Helium pronunciare dicitur: & præsentis amicos sancti Job, ad audiendum se cohortatur.

Audite sapientes verba mea: & eruditi auscultate me. Auris enim verba probat: & gustus estas gustu dijudicat. Quemadmodum igitur, inquit, à faucibus ciborum sapor dinoscitur: ita & verba, aurium iudicio comprobantur. Et idcirco ait Helium:

Iudicium eligamus nobis: & inter nos videamus, quid sit melius. Id est, prius discutiamus, antequam hominem condemnemus.

Quia dixit Job: iustus sum. Non sermonem hunc Job dixit: sed dum virtutes iustitiarum suarum notas fecit, iustum proculdubio se esse monstravit: quem & Dominus iustum jam dixerat. Quod hic dicitur:

Et Deus subvertit iudicium meum. In iudicando enim me, mendacium est: & violenta sagitta mea absque ullo peccato. Similiter & hoc ipsum non legitur, sed scriptum tenemus: Vivit Deus, qui abstulit iudicium meum. Subvertite autem iudicium, ad iniquitatem respicit iudicantis: abstulisse verò iudicium: id est, pro tempore distulisse: ad dispensationem iusti iudicis pertinet. Et multiplicavit vulnera mea etiam sine causa. Proinde hoc loco asserente Helium, hic esse sensus videtur: quod cum Job ita dixerit, fecit Deum iudicium meum, non rectè & verè iudicavit: & ideo erga me mendacio agitur. Quæ autem locutus est Job, magis incautè, & præsumens de iustitia Dei dixisse credendus est. Proinde iuste ei, & merito Deus ait: Utique, qui arguit Deum, debet respondere ei: in quibus utique verbis Dei increpatur. Hoc resonat, quod beatus Job non rectè aliqua sit locutus: sed qui optime noverat, quod bona in eo plurima essent: unde & illi placuerat: concedit ea quæ immoderatus eum loqui in summis angustis dolor compulsi.

Quis est vir ut est Job, qui bibit subannationem quasi aquam: qui graditur cum operantibus iniquitatem: & am-